







43

21

OBSERVATIONVM DE POENIS ILLARVMQVE  
FINIBVS EX PLACITIS IVRIS NATVRAE  
RECTE AESTIMANDIS

SPECIMEN I.

1790 10

---

Q V O D

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE

P R A E S I D E

CAROLO FRIDERICO TRILLERO

PHIL. ET IVR. VTR. DOCTORE

E NVMERO EORVM, QVI SVB EIVS AVSPICIIS SCRIBENDO AC

DISSERENDO SESE EXERCENT

AD D. XXI. AVGVSTI MDCCCLXXX.

H. L. Q. C.

PVBLICE DEFENDET

ERNESTVS FRIDERICVS MEYER

GRÜNHAINENSIS.

---

VITEBERGAE

EXCVDIT IO. TZSCHIEDRICH.



OBSERVATIONVM DE PONTIS KLAVMENT  
INIBVS EX PLACUIS IVRIS NATVRAS  
RECTE RESTMARIVS

CAROLVS RUDOLPHVS BRILLIUS

INVENIO FORVM QVOD ME DNAS ANTONIVS DE BRUNO DE  
HIMBOLDT DEO GRATIAS

REMPERVS RUDOLPHVS





## INTRODVCTIO.

### S. I.

**E**xpeditae veritatis res est, omnis iuris finem supremum niti felicitate humana, legesque ad commodum societatis humanae esse referendas, ex eoque interpretandas, applicandas. Leges enim non legum causa saluae habentur, sed reipublicae. Quamobrem iustitia eum intendit finem, ut unicuique suum tribuatur, seu quod idem est, ut laesiones aliis non inferantur. Quicquid huic fini repugnat, ipsa derestatur, ne vinculum societatis inuicem consociatae turberetur, et violento modo dissolui videatur. Iustitia igitur securitatem humanam sustinet, et sine ea lex et obligatio saluari destituitur effectu. Vere eum in modum praecipit CICERO, <sup>a)</sup> *haud scio, inquit, an pietate aduersus Deos sublata, fides etiam et societas generis humani, et una excellentissima virtus, iustitia tollatur.* Cum ita iustitia strictissimam obseruet aequitatem, et unicuique, non mutata animi et vultus constantia, ex aequa nec ancipiti libra sua appendat, et praemiis et poenis iuris sanctitatem tuetur. Qui actiones suas iuri conformes accommodat, *iustus*, qui eidem contrarias suscipit, *iniustus* vocatur, qui ob malum actionis malo passionis omni iure afficiendus est. Hinc poenae praecipua sunt legum fulcra, quarum finis eo tendit, ut securitas labefactata denuo confirmetur ac stabilietur. De quo poenarum fine, quatenus placitis iuris Naturae sit consentaneus, quaestionem excutiendam mihi sumsi, quia plures Doctores, hac in re dubios ancipitesque haesisse, video. Quorum tamen diuersas opiniones recensere, superfedeo, Poetae dicti memor:

*Occidit miseris crambe repetita magistror,*

\* 2

Omnia

a) De nat. Deor. Lib. I. cap. 2.



Omnis potius argumenti pertractandi ratio eo vergit, ut demonstrarem, poenas iuri Naturae non repugnare, id quod Auctorum veterum sententis, iuri naturae interpretando optime opiulantium, <sup>b)</sup> praemuniam. Quo melius tamen propositi metam attingam, quaedam de causa, origine atque imputatione poenarum praemonenda exilimo, quo facilius earundem effectus et fines legibus naturalibus conformes innotescant. Cuius commentationis, iam dudum pro ingenii et doctrinae exiguis conatibus elaboratae, ac certae occasione frustra destinatae primordia praesenti edere, maxime laetor: nihilque magis opto, quam ut reliqua illius capita, iam chartae limitibus circumscriptus, successu temporis sensim sensimque B. Lectr. iudicio humanissimo submittere possim.

## §. II.

*Ius naturae recte appellatur lex animis inscripta.*

Cum omnes homines in quadam societate viuant, et omnis iniuria, alteri illata, socialitatis foedus turbet, omne ius eum in finem natum esse, constat. Illius vero praecepta cognoscimus partim ex sana ratione, partim ex legislatoris expressa voluntate. Prius dicitur naturale, posterius positivum. Haec lex igitur naturalis omnes homines docet officia, neminem laedendi et suum cuique tribuendi, ideoque merito legem vnicam vniuersalem constituit. Inde GROTIUS in *j. bell. et p. in proleg. n. n.* et qui eum secuti, ad praestantiam et necessitatem iuris nat. significandam, illud existere debere fingit, quamvis *daremus non esse Deum*. Sed haec quaestio, uti ipse concedit, non solum est impia, sed et erroneae opinioni viam sternit, ius naturae esse *veritatem moralem*, non *legem*, quam mihi sine superiore fingere non possum. Ita et otiosa et obscura est quaestio, *moralitatem*, Dei voluntatem *antecedentem*, somniare, i. e. omnia per se iusta fuisse, antequam Deus bona iussisset et mala prohibuisset. Cui tamen ex asse respondit OSIANDER ad Grot. p. 29. *quaerens, quomodo obligatio, quae non nisi a superiore proficiscitur,*  
*ibi*

<sup>b)</sup> Vid. ILLUST. et b. HILLERI, cuius manes sancte colo, et qui mihi *flexibilior occidit*, Progr. de commodis elegantiorum literarum in iure naturae, exemplo Grotii.



ibi adesse possit? Rectius philosophatur CICERO, una, inquit, lex omnes continet gentes, unusque erit communis quasi magister et imperator omnium, Deus, inde ab auctore suo dicitur aeterna, immutabilis, inde locus apud EURIPIDEM in Hec. v. 800. νομο γαρ τες Θεος ήγεμεθα, lege ipsos Deos censemus, est intelligendus. Sed vti in omni lege notificatio illius rite facta, requiritur; ita etiam naturalis iuris praecepta ipsa sana ratio praescribit, et vicem promulgationis supplet. Ideo dicitur non scripta, sed nata lex, quam ex natura ipsa arripimus, hausimus, expressimus; c) quae eleganter ANTILVCRETIVS d) hoc modo describit:

Pectoribus nostris inscriptam ostendere legem  
Et naturam aequi, iusti verique magistram;

merito enim vocatur lex animis inscripta hominum, quia istius iuris peritia omnes, ergo etiam Gentiles, censentur; e) nam sanctioris memoria illa praecepta asseruantur, quae animo quasi insculpta, quam quae chartae periturae demandata. Qua de causa ISOCRATES f) felicem eam civitatem praedicat, quae legibus non scriptis, sed animo inscriptis, vivit. Inde Graeci magnam tribuunt vim phrasibus εγγραφεν δελο-  
τοις φρεσιν, γραφεν εν τη ψυχη, g) cui opponunt εις τεφραν γρα-  
\* 3 φεν

c) CICERO pro Milon. c. 4.

d) Lib. I. v. 620. Inde ius dici potest *comarum*, quatenus omnes facultatem habent *congenitam* bonum a malo secernendi, si modo rationis femina sensim excolantur; et sic eruditorum dissensus componi potest, an ius naturae sit *innatum*, nec ne. Ita CICERO L. V. de fin. Est natura sic generata vis hominis, ut ad omnem virtutem percipiendam facta videatur: ob eamque causam parvi virtutum simulacris, quarum in se habent semina, sine doctrina moventur: sunt enim prima elementa naturae, quibus auctis virtutis quasi carmen efficitur.

e) Ipse Apost. Paulus ad Rom. c. 2. v. 14. de gentilibus asserit, illos habere εγγον τη νομο γραπτον εν ταϊς καρδιαϊς. vid. GROTIUS ad h. loc.

f) In orat. areopag. p. 292. vid. Iosephus Antiq. Iud. Lib. IV. c. 8. §. 12 καλον γαρ ταϊς ψυχαις εγγραφεντας αυτες και τη μνημη φυλασθηναι, ως μηδεποτε εξαλειφθηναι δυναμεναι.

g) Plura de emphasi huius loquendi formulae congestit Io. CLERICVS in Art. Crit. P. II. Sect. I. c. 4. §. 10.



Φεω, vento et aqua scribere, quas inprimis de iustitia animis insita <sup>b)</sup> vsurpant. Ideo etiam Vetres iustitiae qualitatem atque effectum collocasse videntur in constanti et perpetua voluntate cuique suum tribuendi, quae interna iustitia causa et fulcrum iustitiae externae merito aestimanda est. Sic teste ISOCRATE l. c. quemlibet oportet iustum in animo custodire, δὲ ἐν ταῖς ψυχαῖς ἔχειν τὸ δίκαιον, et ita semper internam iustitiam cum externa accurate coniunger, <sup>i)</sup> Si igitur natura legem constituit, quae sine obligatione, certoque fine, in salute humana fundato, fingi nequit, sequitur, ut homines ad officia ex sana ratione cognita, sancte seruanda obstringantur, seque ob eorum violationem ingratissimis passionibus obnoxios reddant. Recte BOECLERVS <sup>k)</sup> concludit, si, poena inter homines, inquit, meritum est iuris naturalis, tum qua illud ius est, tum qua naturale est. Et vere ita pergit ratiocinari: si ius est, obligationem parit: obligatio autem nulla neque esset, neque concipi posset, sine poenae alicuius violationi iuris imminentis ratione. Et sic certius patet, ipsam naturam docere, quid faciendum, quid fugiendum sit, et modum adimplendae obligationis praescribere, quorum pertinet illa, quam habet DIO CHRYSOSTOMVS orat. X. admonitio: γὰρ ἔχων γνώσῃ ἀπο σεαυτοῦ, ὅτι σοὶ πρακτέον ἐστὶ, καὶ ὅπως.

### §. III.

#### Causa delictorum excutitur.

Sed mirum videtur, unde tanta delinquendi licentia animos inuasit, cum natura quemlibet mitem atque humanum fingat. Illa tamen ipsi naturae vitio verti non potest,

— melius quod nil animis in corpore iuris  
Natura indulget. <sup>l)</sup>

hoc enim idem esset, ac omnem vitiorum originem Deo, auctori totius naturae, adscribere. Vti enim arti imputari nequit, quidquid

<sup>b)</sup> Id quod EVRIPIDES in Bacch. v. 894. exprimit per: τὸ νόμιμον ἀπὸ φύσεως πεφυκεν.

<sup>i)</sup> Vid. CONRADI diss. de iustitia interna ab externa non separanda.

<sup>k)</sup> in praefat. ad Grot. p. 9.

<sup>l)</sup> IUVENALIS Sat. 2. v. 139.



ab aliis contra artis regulas suscipitur, ita etiam ipsa natura ex constitutione diuina causa mali dici non potest; pariterque foret iniustum legislatori obicere, quod vnus vel alter legem violat. *m*) Vti enim morbi corporis non per naturam, sed per sequelas quasdam necessarias, quod CHRYSIPPVS apud GELLIVM, *N. A. L. 6. c. 1. κατὰ παρακολογήθειν*, appellat, eueniunt; ita etiam vitia, seu morbi animi per *affinitatem contrariam* nata sunt, dum *virtus*, teste GELLIO l. c. *hominibus per consilium naturae gignitur*. Nunquam enim principale naturae consilium fuit, vt faceret homines morbis obnoxios. Sed praecipua causa ponenda est in fragilitate et mobilitate humani animi, huc et illuc vacillantis, donec neglecto rationis vsu in deprauatos mores magis inclinet. Egregie dubium hocce PLVTARCHVS *n*) resoluit; natura quidem, inquit, nullus hominum aut est, aut fuit ferum atque infociabile animal, sed efferatur, vbi *extra naturae modum* peccare afflucit. In ipsa enim natura magnum iustitiae sacellum est, vti Theonoe apud EVRIPIDEM in Helen. Act. III, v. 1008. gloriatur:

Ἐρεσι δὲ ἱερὸν τῆς δικῆς ἔμοι μέγα  
Ἐν τῇ φύσει.

quod tamen interdum grauior appetituum destruit vis, quam accurate depingit LYCRETIVS: *o*)

Iamne vides igitur, quamquam vis externa multos  
Pellit, et inuitos cogit procedere saepe,  
Praecipitesque rapit, tamen esse in pectore nostro  
Quiddam, quod contra pugnare, obstareque possit,

quili-

*m*) Vti recte philosophatur MAX. TYRIVS *Diff. 25. p. 256. edit. Heinf.* hoc modo: εἰ δὲ τι ἀρετῆς ἑαυτῶν τὰ ἐν γῆ ἔχοντα, παύσει πλημμελες, αἰτιὸν μὴ τὴν τεχνὴν τίθει (Βελίας γὰρ κέσμα τεχνίτη ἀτεχνος, εἰς γὰρ νόμοισιν ἀδικεῖ). Et *Diff. 3. pag. 35.* dicit, hominem *Parcas*, *Eriennes* et *vim Deorum*, quibus culpa omnis adscriberetur, in animo suo (ἐνδὸν τῇ ψυχῇ) circumgestare.

*n*) In vita Pompeii *Tom. I. p. 633. edit. Xylandri*: Φύσει μὲν ἀνθρώπος οὕτε γεγενῆσθαι οὕτ' ἐστὶν ἀνημέρον ζῶον οὐδ' ἀμικτόν, ἀλλ' ἐξίσταται τῇ κακίᾳ παρὰ φύσιν χερσόμενος. SENECA *Epist. 90. primi mortales*, inquit, *incorrupte naturam* habebant et *ducem et legem*.

*o*) *De rer. nat. Lib. II. v. 277. 199.*



quilibet potius homo sibi acclamet illud:

*te ipsum*  
*Concute, num qua tibi vitiorum infecerit olim*  
*Natura, p) aut etiam consuetudo mala q)*

quae si attendere vellemus, nobis statim innotesceret, quid fugiendum, quid sit faciendum. *Satis natura*, inquit SENECA epist. 116. *dedit roboris homini, si illo utamur, si vires colligamus, ac totas pro nobis non contra nos concitemus.* Nihil tamen minus animus humanus maiori imperu irahitur, ut deteriora sequatur, quamvis meliora sciat proberque; et sic natura,

*In qua consilium vitae regimenque locatum est, r)*

frustra laborat hominem in obsequio continere, qui, malo appetitu (*όρεμη*) victus, illius placidis monitis asper existit.

#### §. IV.

*Necessitas poenarum in lege positiua constituendarum.*

Verum quidem est, societatem humanam sanctione poenarum non opus habere, si dictamen sanae rationis semper sequeretur. Quare recte asserit CHRYSOSTOMVS homines regi *τοῖς τῆς Φυσῆως λογισμοῖς*, neque alia lege indigere, quia sufficit pro lege conscientia  
 et

p) *Natura* est vocabulum latissimae significationis, et apud MANILIUM in Astron. Lib. IV. v. 835. de toto terrarum orbe, per incendia Phaethontis perituro, sumitur:

— *uno iunxit condi natura sepulcro;*

hoc loco tamen in media notione intelligenda est de malo appetitu, cui respondent adiecta verba: *mala consuetudo.*

q) HORATIVVS Lib. I. Sat. III. v. 35.

r) Liceat mihi LUCRETII de rer. nar. Lib. III. v. 95. verba commode naturae adscribere; uti et PHOCYLIDIS antiquissimi Poetae, cuius sententias collegit GROTIUS, *όπλον έκαστω νέμεθεος Φυσιν* i. e. arma unicuique dedit Deus naturam.



et rationis usus, ἀρχαὶ ἀντὶ τῶ νόμου το συνέδος καὶ λογισμός. Quem  
statum Veteres felicissimum describunt, quo

*Sponte sua sine lege fidem rectumque colebant.*  
*Poenā metusque aberant* s) —

in quo homines concordēs in communione bonorum primæva  
vixerunt

— — cum suam nemo timeret,  
*Caulibus aut pomis et aperto viveret horto.* z)

Sed status iste aureus dictus non diu duravit, citius communiō illa  
mater rixarum existit, ideoque opus erat, ut ad obligationes, quam-  
vis sana ratione innotescerent, lege positiva arctius adigerentur.  
Fructus præterea, quos benefica natura ex gremio suo excluderat,  
hominum progenie aucta, amplius non sufficiebant, ideo industria  
humana eidem subuenire debebat. Iam tellus vomeribus erat se-  
canda, et tunc primum iugo pressi gemuerunt iuuenti. Desidia igitur  
et prava cupidō, aliis parta labore cripiendi, præcipuam vitiiis  
aperuit viam, atque ex illo tempore meum et tuum humanæ felicitatis  
turbavit circulos. Pudor, iustitia et fides violabatur, et teste OVIDIO u)

*In quorum subire locum fraudesque dolique*  
*Insidiæque et vis et amor sceleratus habendi;*

filius in patris annos inquirebat, et frater fraterno sanguine manus  
commaculabat. x) Quam hominum peccandi libidinem atque auda-  
ciam, quo luculentius Poetae describerent, eos ipsum coelum affe-  
ctasse, et stulticia sua petiisse, finxerunt. Quæ morum ferocitas  
poenis erat cohibenda, instar salutariæ medicinae, huic malo neces-  
sario applicanda.

§. V.

s) OVIDIUS Met. L. I. v. 89. r) IUVENALIS Sat. VI. v. 16.

z) Met. L. I. v. 130. x) CATULLUS carm. LII.

*Iustitiamque omnes cupida de mente figarunt,*  
*Perfudere manus fraterno sanguine fratres.*

OVIDIUS Met. L. III. v. 125.

*Marte cadunt subiti per mutua vulnera fratres,*  
vnde etiam HOBBSIUS bellum omnium in omnes derivare videtur.

\*\*\*



*Ius diuinum positium praecepta Iuris Naturae repetit.*

Ius diuinum *positium*, a Naturali non differt ratione legislatoris, sed promulgationis, quatenus Deus voluntatem suam difertis verbis hominibus patefecit. Quae de causa illud vim obligandi vniuersalem non habet, et criteria illa, quae vulgo Doctores hic requirunt, ne legis quidem vniuersalis virtutem constituunt, vti accurate docuit Illust. MICHAELIS in iure Mosaico. Interim tamen negari non potest, Deum veritates illas morales, iam ex sana ratione cognitas, in lege positua repetiisse, hominesque magis ad illas seruandas, adiecta certa poena, quia hominum in dies crederet delinquendi libido, adstrinxisse. Inde recte THOMASIVS atque HEINECIVS <sup>y)</sup> docer, ius naturae non esse deriuandum ex Scriptura sacra, sed ea tantum reperti in illa, quae sana ratio dicitur, ideoque miram vtriusque iuris vocat *consonantiam*. Ita PHILO Iudaeus <sup>z)</sup> instituta ciuitatum *appendices naturalis iuris*, *προσθήκη κατά την φύσιν*, vocat. Certo certius patet, omnem legem posituam semper niti naturali aequitate, quamobrem merito lex naturalis omnium legum mater vocatur. Id quod pariter valere debet de legibus humanis, quae ita respondere debent aequitati, ne ex iis *summum ius, summa iniuria*, oriatur. Hinc ipse VLPIANVS in L. 6. *π. de I. et I. ius ciuile esse dicit*, quod non in totum a naturali recedit, qua de causa poenarum ciuiliu ratio ex eodem erit diiudicanda, accurateque examinanda. Iura positua enim sunt quasi subsidiaria, quibus non indigemus, si hominem nobis fingamus, qualem se gloriatur Cornelia apud PROPERTIVM, L. IV. El. 12. v. 47.

*Mi natura dedit leges a sanguine ductas  
Nec possim melior iudicis esse metu.*

<sup>y)</sup> Elem. Iur. nat. et gent. Lib. I. C. I. §. 16.

<sup>z)</sup> de Iosepho, p. 531. edit. Francof. 1691.











Wittenberg Diss. 1790











OBSERVATIONVM DE POENIS ILLARVMQVE  
FINIBVS EX PLACITIS IVRIS NATVRAE  
RECTE AESTIMANDIS

SPECIMEN I.

1790 10

QVOD

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE  
P R A E S I D E  
CAROLO FRIDERICO TRILLERO

PHIL. ET IVR. VTR. DOCTORE

E NVMERO EORVM, QVI SVB EIVS AVSPICIIS SCRIBENDO AC  
DISSERENDO SESE EXERCENT

AD D. XXI. AVGVSTI MDCCCLXXX.

H. L. Q. C.

PVBlice DEFENDET

ERNESTVS FRIDERICVS MEYER

GRÜNHAINENSIS.

VITEBERGAE

EXCVDIT Io. TZSCHIEDRICH.

